



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Sectio IX. Utilitas, quam Gallia, respectivè ad Curiam Romanam, traxit  
nolendo publicare Concil. Trid.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

## SECTIO IX.

*Utilitas, quam Gallia, respectively ad Curiam Romanam, traxit nolendo publicare Concilium Tridentinum.*

Uò magis attendimus ad ea, quæ gesta sunt propter denegationem publicationis Concilii Tridentini in Galliâ, eò magis agnoscimus, eam denegationem Galliâ utilem fuisse. 1. Quidem omnes molitiones Curia Romanæ, sive mittendo Nuntios & Legatos, sive urgendo Regios apud Pontificem Oratores, tum machinationes, quas à factione Hispana Catholica, nec non ab aliquot Episcopis Sedi Apostolica devotis fieri procuravit, adeò, ut illud publicaretur sine consensu Regio, ostendunt, illam Curiam credidisse, publicationem esse necessariam, ut Concilium haberet vim Gallos obligandi. Porro, opinio illa tam sæpè manifestata notabiliter confirmat regulam Gallicanam circa necessitatem publicationis Legum in locis ipsis, ut eorum incolas obligare valeant. Hinc eò majus in Galliam commodum oritur, quòd illi ipsi, qui hanc regulam criminantur, multoties eam solemniter approbaverunt.

2. Jus Galliâ competens modificandi Decreta Pontificum, & Conciliorum Generalium, validam confirmationem accepit ex deliberationibus vario tempore factis publicandi Tridentinum cum aliquot ex his clausulis, *sublato eo quod tranquillitati nationis officere posset: salvo exemptionibus Capitulum: salvo jure Regio: salvo Libertatibus Ecclesie Gallicane*, aliisve similibus à Curia Romanâ approbatis. Nam, præterquam hoc hæ clausula inserta fuerant Edicto, quòd HENRICUS IV. meditabatur, & CLEMENS VIII. approbaverat: credibile est, Cardinalem d'OSSEAT qui pluries scripsit, omnia obstacula vinci posse unius Salvo ope, id non facturum fuisse, nisi certus fuisset, Pontificem consentire receptioni cum modificatione.

3. Quantum certum est, Pontificem CLEMENTEM VIII. dispositum fuisse ad approbandam publicationem Concilii Tridentini cum clausulâ *salvis Ecclesie Gallicane libertatibus*, tantum emolumentum cepit Gallia ex eo, quòd Pontificem ad autenticam approbationem Libertatum suarum adduxerit resistendo publicationi, quam cupiebat.

4. Quamdiu Pontifices aliquam spem habuerunt impetrandæ publicationis Concilii Tridentini in Galliâ, tamdiu faciles fuerunt in concedendis rebus, quas petebat. Plura exempla afferre facile foret, verum sufficere allegare abolitionem HENRICI IV. quam Rex Hispania tantis conatibus Romæ impediobat, quæ tandem concessa est ob spem, quòd Rex publicationem Tridentini in Galliâ procuraret.

## SECTIO X.

*Momenta precum frequentium Pontificum, ut Concilium Tridentinum in Galliâ publicaretur.*

Cum attendimus ad Sedem, quam in Ecclesiâ obtinet Pontifex, qui est caput ministrorum à Spiritu Sancto positorum ad regendas animas fidelium, proclives sumus ad credendum, molitiones Pontificum ad obtinendam publicationem Concilii Tridentini in Galliâ profectas esse à zelo salutis animarum; sperabant quippe, fore, ut Decreta istius Concilii valde idonea essent ad morum reformationem, atque eorum publicatione restitutum iri rectum ordinem.

Sed, dum consideramus, quòd, licet alios supra homines erecti, nihilominus homines sunt, quodque magna sublimitas humanam sæpè infirmitatem auget, possumus absque injuriâ præsumere, quòd amor sui ipsorum emolumentum multum contulerit ad vehemens illorum erga publicationem studium. Nam Tridentinum plura confecit Decreta Sedi Apostolicæ honori-

fica: talia sunt 1. Illud quod Pontificem Concilio Generali præponere videtur, petendo à Pontifice confirmationem omnium Tridentini Constitutionum. 2. Illud, quod declarat, mentem suam non fuisse, ut Pontificia autoritas ullo suo Decreto restringeretur, *salvâ in omnibus Sedis Apostolica autoritate*. Unde eadem consequentia elici potest. 3. Illa, in quibus Pontifici reservatur Cura conficiendi Catechismi, concessio Gallicis, interpretatio Decretorum suorum, continuatio vel abrogatio Commendarum, cognitio causarum Episcoporum. 4. Illa, in quibus conventum est, ut solis Legatis competeret facultas proponendi argumenta discutienda, aut deliberanda, utque Decretis infereretur clausula, *proponentibus &c.*

## SECTIO XI.

*An Principes aliquam partem habuerint in Conciliis Provincialibus post Tridentinum habitis, ad procurandam executionem Decretorum ipsius & posito quòd aliquam habuerint, an inde elici possit aliquid illi Concilio favorable.*

Posteriore Quæstione exordiemur, quippe, quæ finis sit prioris. Solutio illius Lectorem adducet ad evolenda facta per quæ prior deinde decidetur. Duo autem præsupponenda sunt. 1. Omnia illa Concilia aliquatenus acceperunt Decreta Tridentini; alia expressè sanxerunt executionem omnium illius Constitutionum. Talia sunt *Cameracense 1565. Mediolanense ab anno 1565. ad 1582. habita: Toletanum 1566. Mechliniense 1570. Mexicanum 1585. Avenionense 1594. Aquileense 1596.* Alia suis Decretis pleraque illius Decreta inseruerunt, vel ad verbum, vel æquipollente sermone, sive illud nominatim laudando, sive mentione omiſsa. Talia sunt omnia Concilia apud Gallos habita, uti per illorum excerpta comprobavimus.

Aliud caput est, quòd non appareat illum Principem Synodis in ditione suâ habitis vitio vertisse, quòd sic Decreta Tridentini acceperint.

His præsuppositis, manifestum est multum ponderis adjectum iri Tridentino, si Principes aliquam partem in Conciliis posterioribus habuerint, sive jubendo, sive invitando aut exhortando, ut illa celebrarentur, sive idem permittendo, & precibus Prælatorum annuendo, seu denique faciendæ executionem Decretorum ab illis Synodis confectorum; nam sic validè probatur, eos approbavisse Decreta Concilii Tridentini, & consensisse, ut in suâ ditione, vel ex integro, vel ex parte observarentur.

Opera igitur pretium est investigare, an Principes aliquam partem habuerint in Conciliis post Tridentinum habitis, & quænam illa fuerit.

Inter Synodos quarum Principes participes fuerunt laudare non possumus *Rhemensem* an. 1564. quia non supersunt Instrumenta convocationis & publicationis, aut similia in quibus, ut plurimum reperiuntur vestigia rei, quam Princeps erga Synodum gessit.

Adjice contumeliam Galliâ à Concilio Patribus inusitam, qui noluerant Oratoribus Gallicis primas, quas possidebant, antè Hispaniam dare, adeò recentem fuisse, aliasque offensas adeò crudas, ut credibile sit, *Rhemensem*, de quâ agitur, Synodum sine consensu expresso Regis habitam fuisse, vel hunc tacitè duntaxat consensisse. Aliud est de *Cameracensi* editâ & habitâ die 3. Augusti 1565. nam in Instrumento Editionis expressè dicitur, PHILIPPUM II. Hispaniæ Regem, ad quem Provincia Cameracensis tum pertinebat, excitavisse Episcopos, ut eam celebrarent: *Huic autem indicationi nostræ addidit animum invictissimi atque religiosissimi Principis Philippi Regis Catholici, omnium optimi ac maximi pietas (in cujus ditione penè tota Provincia patet) qui cum id sibi vehementer placere ac probari, pro suo erga rem Christianam studio declarasset &c.*

Sanctus CAROLUS in Oratione, quâ primam Synodum Mediolanensem exorsus est an. 1565. insinuat, Regem